

8

DEFENSIO

DOMUS REGII SALTUS IRATI

Die 17 Maii 1794

**CUM ALIIS ADVERSUS PERTURBATORES GALLOS ,
NON MINUS HISPANIÆ , QUAM GALLIÆ IPSI,
ET ECCLESIAE HOSTES.**

AUCTORE

PETRO MARIA HEREDIA DEL RIO

CENTURIONE JUBILATO HISPANO.

OLYMPIA

WASHINGTON

1911

THE UNIVERSITY OF WASHINGTON
LIBRARY

1911

OLYMPIA

✱

J. M. J.

Quomodo clausa domo Irati Soriana iuventus,
Parva licet numero, Gallisque obsessa catervis,
Extiterit victrix, flammæque erepta periclo,
Est animus canere, et Domino persolvere grates;
Inclita cui tanti debetur gloria facti,
Cum fuit inde Dupont perterrita Bætica turmis,
Queis nova post pacem tentarunt prælia Galli,
In quibus est captus Gallorum exercitus omnis.
Cujus mi tribuit captorum ducere turmam,
Insula quos Balearis habet, *Capraria* dicta,
Unde suum veniunt armis vexare tyrannum;
Ipseque me eripuit per tot discrimina rerum,
Cui semper psallam, cum sit mihi causa salutis,
Angelicum ante chorum cupio tibi psallere semper,
Quando nihil possum, retinet dum tarda senectus,
Nilque egomet, nisi pondus iners, et inutile terris.
Vos autem, validique Duces, fortesque Tribuni,
In condigna ferant animi magnalia vestri,
Pro Fide certantes, ac religione tuenclis,
Et mihi dicenti hæc aures præstate benignas,
Vertite ad hæc, inquam, mentes, et figite dicta
Sensibus hæc imis; vestris fiducia rebus
Sit Deus, huic defixa uni spes hæreat omnis.

Sic mihi non fictæ Musæ, non falsus Apollo,
Deprecor, ut faveant, nostro nec carmine turpet
Vana superstitio vestrum, Deus Optime, cultum.

Sed tu, Amor Omnipotens Patris, Natique, Creator
Spiritus, imple tuis ditans mea carmina donis.
Nec tu, Pura, meis absis inceptibus usquam,
Virgo Dei Genitrix, Michaelque, Chorique benigni
Angelici, Septemque Thronum quibus ante Supremum
Stare datur, nec non Paschalis Sancte Baylon,
Nam festo, auxilioque tuo vicisse fatemur;

4
Sancte etiam Soriae populi Patrone Saturi,
Nam caput ante tuum miles deprecatur in urbe,
Antea quam duri tentet certamina belli:
Et Domini Præcursor ades mihi, Sancte Joannes,
Quando militibus vitæ documenta dedisti,
Militiamque pius juvisti sæpius ipse,
Cælicolæque simul cuncti, quos Regia felix
Ornat in æternum miseræ post tempora vitæ.
Vivite felices, quibus est hæc vita peracta,
Atque levare pii nostros curate labores.

CANTUS. I.

HISPANOS INTER BELLUM, GALLOSQUE FUREBAT,

Finibus amborum, Pirenæis montibus altis,
 Cujus nunc causas nec est cur pandere tentem,
 Nec lubeat cuiquam dirum renovare dolorem,
 Divinum ut cultum, leges, ritusque vetustos
 Eruerint Galli, lugens Ecclesia mater
 Funera quæ vidit, Reges, Sacrosque Ministros
 Occisos, externa alios in limina pulsos,
 Clausaque templa Dei, pollutam sanguine terram,
 Quæque animus meminisse horret, luctumque refugit.
 Has inter medias strages, casusque timendos,
 Quartus Rex Carolus, nulli pietate secundus,
 Extemplo late fines custode tueri
 Jussit, et Hispanas in prælia ducere gentes.
 Jamque ibi confertis triplex exercitus armis
 Crebras tentarat vario discrimine pugnas,
 Nec minor, hos inter, Navarræ in finibus alter
 Arcebat nostri Gallos a limite Regni.
 Dux erat huic senior Caro, proavisque decorus,
 Et præstans animo juvenes, accerrimus armis,
 Sub cujus ductu imperium, dextræque regebat
 Agmina telluris Dux generorus Osuna,
 Nec minus huic alii proceres, vallesque parebant
 Usque ad Egui fabricam Roncal a montibus altis.
 Est juxta Roncal Salazar vallis, et isti
 Regius Irati saltus succedit adhærens;
 Pars nemoris Gallis, et pars est altera nostris.
 Præsidiumque tenens prælatæ Soria terræ,
 Quinque Cohors turmis Salazar sistit, et ipsa
 Tres alias misit Roncal, nemorique juventam
 Præsidio Irati primis de quinque remisit.
 Huic ego præfectus, parmaque inglorius alba,
 Optabam juvenis proavorum facta novare,
 Et soccii moniti Soriæ ad Sancti ostra Petri,

Propugnare Fidem, tamquam Numantia fortes,
 Soria cui surgit nostro nunc proxima Regno,
 Jussis conveniunt prompti Ductoris, et omnes
 Armis instructi Abodi montana subimus.
 Tunc vero fluidis adopertus nubibus æter,
 Nixque acri concreta gelu, nimbosus et aer
 Angustam rapuere viam de lumine nostro,
 Ac hiemale rigens hiberno tempore Cælum
 Occupat errantes Irati in limine saltus,
 Quo duo de nostris læti discrimen adibant.
 Marchio sollicitus noster Vadillo Tribunus,
 Consultis terræ voluit revocare peritis,
 Qui nos posse tamen credunt protendere cursum:
 Incerti tandem cursus, fessique labore,
 Irati sedes hilares intravimus omnes,
 Ac aliæ hic nostrum turmæ succedimus armis.
 Tunc quasi bis denas humiles hic cernimus ædes,
 Et medioere novo consurgens culmine Templum.
 Hæc fuerat circum tellus detecta securi,
 Condensas inter fagos, ubi sistitur illic,
 Cætera saltus habet circum nos proximus umbris,
 Lambimur a bino, qui subtus confluit, amne.
 Hæc nova montanis inclusa colonia silvis,
 Umbrosas inter fagos, atque abjete septa,
 Classibus aptabat celsas in marmora pinus,
 Regiaque hic magnos faciebat Nautica sumptus,
 Proretasque duos statuit, qui fædere certo
 Artifices, cunctosque regant ad ligna secanda.
 Quos ad tutandos missi, saltusque tenendos,
 Possumus haud facile auxilium deposcere nostrum,
 Qui exigui numero, et longo tramite perstant:
 Vix credo auxilio mihi posse venire trecentos.
 Hinc atque hinc celsi montes, et devia lustra;
 Arboribus late circum, atque horrentibus umbris
 Claudimur, et brevior Gallorum est finis in oras,
 Neve minus distans, quam leucam, bisque ferèbat
 Et medium hoc spatium Sorianæ ad tecta Cohortis,
 Dum juga per media est patefactum culmen Abodi,

Queis nive tunc etiam nobis hoc tempore clausis,
 Leucarum anfractu bis ter prohibemur ab illis,
 Solaque restabat ter leucas fabrica distans,
 Orbayceta, vocant Legio quam dicta Coronæ
 A nostra longo cinxit munimine læva,
 Difficilique via mi annonæ hinc fertur Irati.

Desuper has ædes, nec templi a parte remota
 Nostra domus surgit, turri vallata quaterna,
 Rimis ad jactus, multisque ad aperta fenestris,
 Telaque sunt aliis armandis, apta Colonis,
 Nitratu pulvis, granata minantia flammis.
 At quod majus erat nobis roburque, decusque,
 Immaculata Dei Genitrix, tibi Sacra Capella,
 Haud prælaturis vallum, bombardæ, nec arcem.
 Omnibus huc festis acturus Sacra Sacerdos,
 Huc socii gratis animis, mixtique coloni,
 Æterno Christum veniunt offerre Parenti.
 Quotidie huc etiam socii, jam limine clauso,
 Noctu conveniunt ad jussa, Rosarium, et Album.
 Et licet immeritus, cum ductor agminis essem,
 Me Sanctæ semper Christi commendo Parenti.
 Nec Regina potens vota aspernata precantum,
 Heu quas avertit clades, quibus illa periculis
 Immersum eripuit flammæ, ac hostis, et amnis!
 Quis dignis posset numeris tua dona referre,
 Queis tibi non meritum placuit, Pia Virgo, juvare!
 Hæc tu sola potes vires præstare canendi,
 Non opis est nostræ grates persolvere dignas,
 Nec polluta tuis sunt labia laudibus apta.
 Angelici tibi digna chori, doctique Prophætæ,
 Sacratoque canat bis sennus Apostolus ore,
 Martyrio insignes turmæ, castæque puellæ,
 Pontifices Sancti, et grato Confessor honore.
 Hoc ego te suplex unum pro talibus oro,
 Ut gratum reddant animum tot munera nostrum,
 Quod si præstiteris Vati, Purissima Virgo,
 Carmina nulla canam, nec erit mihi gratior ulla,
 Quam mihi quæ Mariæ præscribat pagina nomen.

His ergo clausi silvis, saltusque recessu,

Cernere vix Cœlum, tectisque exire valemus ;
 Igne tamen multo devicto frigore brumæ,
 Materiam densæ cui præbet copia fagi,
 His assuefacti non alias quærere sedes
 Optamus, visumque ideo est orare Tribunal,
 Assidua ut fidatur ibi custodia nobis :
 Et jam mansuri silvis, dum Soria turmis
 Gingeret has oras, inclusi tædia brumæ
 Portamus tectis, ignari saltusque, locique.
 Hic stationum tunc mihi grata scientia belli
 In manibus crebro est, animumque in magna ferebat,
 Exemplis motum veterum, monitisque peritis.
 Foncalada librum donaverat, agminis alter
 Dux, studio in pugnas juvenes accendere plenus.
 Foncalada Comes, bello, armorumque furore,
 Nequidquam ereptus, posita nam pace Tribunal,
 Matrivi, plane mentis nec compos obivit.
 Infelix ductor, si quid mea carmina possunt,
 Non equidem nomenque tuum, laudesque peribunt,
 Neve obstare mali ploranda ærumna valebit,
 Quin genus, officiumque tuum, studiumque canamus,
 Nam si idem cunctos animos simul ardor haberet,
 Non idem rerum casus, bellique fuisset.
 Parcite, Ductores nostri, fortesque Tribuni,
 Et sinite hoc tanto me reddere munus amico,
 Quem jam felicem teneant penetralia Cœli ;
 Præmia digna ferat libri, quem volvimus illic
 Pro bello nostræ dando documenta juventæ.
 Volvissemque utinam mente illic facta Saturi,
 Fluminis, et nemoris simili invitatus eremo ;
 Vel ea, quæ scripsit Venerabilis Agreda Mater,
 De Christi Domini sacrata morte loquendo,
 Quæ Sorie Mater dederat cum Castra petebam.
 Non tamen e Soria Sanctus nos deserit ille,
 Ipsius et cives pro nobis corde precando.
 Tunc mihi de Sorie mandavit Avunculus Urbe,
 Nomine Isidorus, Perez cognomine dictus,
 Proque suo in Patriam studio bene notus in ipsa,
 Turpia cuncta meis ut vitem verba loquelæ,

Quæ impedit Hispanas Dominum salvare Cohortes,
 Propitiumque Deum turmæ sic reddere nostræ.
 Consiliumque sequor, nec nostri id ferre recusant,
 Pœnaque signatur pro trasgressoribus ejus.
 Excipio hic hominem, qui Gallis fugit ab oris;
 Hic mare trajiciens, fuerat captivus ab illis,
 Atque mihi navim depictam munere donat;
 Nescio si fuerit signum de nave tenenda
 Tempore venturo lustrando littora Regni,
 Per mare Gallorum captam ducendo catervam,
 Qui contra Gallos pro nobis arma capessant,
 Cum nova post pacem tentarunt prælia Galli,
 Vel fuerit signum nostris defendere tectis
 Ad naves illic aptantes ligna colonos,
 Quorum tunc fuerat custodia credita nobis:
 Vel quod nostra domus navis, vel Arca fuisset,
 Quæ illic inclusos salvaret tempore pugnæ:
 Vel quod nostra domus Navi confisa Mariæ,
 Assuetæ a longe panem portare beatum,
 Qui nos confortet duri in certamina belli,
 Fluctibus et servet mediis, et turbine pugnæ.
 Sive Petri est Navis nobis oblata figura,
 Posceret auxilium quæ tunc discrimine magno.
 Sit quidquid fuerit, de Hispano ex hoste recepto
 Gaudeo, qui nostras fessus pervenit in Ædes
 Per nemus umbrosum, devicto frigore brumæ,
 Quod Socius conjunctus ei non ferre valebat,
 Ac iter inceptum meta complere beata.
 Perfugium cunctis utinam domus esse valeret,
 Irati curæ nostræ concredita saltu.
 Hospitio excipere et Gallos tres contigit ante,
 Qui effugere suæ pertasi crimina gentis,
 Perque nives veniunt stationem quærere nostram,
 Quam in *Picatus* tenuit centuria prima,
 Quæ mihi tunc Salazar fuerat concredita valle,
 A templo haud longe *Musquildæ* Virginis almæ.
 Atque utinam reliquos eadem prudentia Gallos
 In misera impellat sic, linqere gente tyrannos,
 Qui miseros reddunt homines sua jussa sequentes,

Decipiuntque animos incautos fraude dolenda,
 Veraque tunc esset talis victoria cunctis,
 Quam Dominus miseratus eis, nobisque parare,
 Virgine dignaretur Matre precante Maria!

Jamque resurgentis Domini cum Paschate Sancto,
 Agminis et nostri mens per Sacramenta resurgit,
 Provida quæ natis confert Ecclesia Mater,
 Jamque renascentis testatur gloria mundi,
 Omnia quod certent Christi exultare triumpho.
 Jam nive depulsa patefactum est culmen Abodi,
 Estque aditus brevior Sorianæ ad tecta Cohortis.
 Jamque licet nostræ turmæ, percurrere montes,
 Et lustrare vias, latumque agnoscere saltum:
 At nihil invenio, præter vestigia quædam,
 Quæ (scrutare locum nostro Ductore jubente)
 Piscatoris erant, quærentis flumine tractas:
 Ductori hunc Gallum refero, captumque remitto.
 Cernitur haud alius, tenet alta silentia saltus,
 Arboribus late circum frondentibus illic.
 Nam Galli cessere loco, nemus omne relinquunt,
 Ac extra saltum sistit Custodia nostrum,
 Observando viam nemoris, Eburrio dictam,
 Qua Orbayceta mihi Præfectus scripserat esse
 Gallorum mentem terras invadere nostras.
 Pervius ille locus stabat sine milite nostro,
 Occultum, facilemque aditum prebendo catervis
 Hostis, ut in nostros fines se immittere possent,
 Orbayceta inter, nostrorum et limina turmæ.
 At manus hæc nostrum, sistens in finibus hostis,
 Est nimis exposita, et quoddam se nocte periculum
 Creditur evasisse loco: ad penetralia Silvæ
 Se recipit felix; æquali munere divo
 Huc ego tunc veniens, mediis ex hostibus unus
 Ad collem curro, qui contra proximus adstat
 In Gallis oris: Dominum tunc invoco corde,
 Ac aditus nemoris cum Gallica turba relinquit,
 In nemus hoc ipsum cursu me immitto veloci,
 Quo tandem fessum recipit custodia nostrum,
 Cum sociis alijs, qui me tunc quærere certant.

Creditur hęc dixi, quod nondum noscere certo,
Rem potui, dubito, tenebris fingentibus umbras,
Si fortasse viros umbras nos credere noctis,
Vel ego, vel nostrum potuit Custodia falli,
Meque illam fugere, ac illam me forte timere.
Sed locus ille fuit metuendus proximus hosti,
Visus ibi fuerat vir quidam luce priore,
Observare locum nostrum de hoc colle propinquo,
Visi ibi sunt etiam, tenebris cum nocte fugatis,
Hostes non pauci de ejusdem culmine collis.
Ex Irati a nostris conspicientibus ipsum,
Qui illa loca a celsi speculantur vertice montis,
Ut mihi dixerunt: et sic Deus Optimus illic
Salvasse e mediis turmis nos creditur hostis.
Hinc propius medio sistit Custodia saltu,
Sic nostrę nobis Ductore jubente Cohortis,
Sollicitum nostrj fecit quem fama pericli,
In quo mira mihi Domini Clementia luxit.
Albaque cum prodant longe tentoria visum,
Arboris hinc nostrum Custodja cortice tingit,
Hostibus occultando locum quo sistere, jussa est,
Ne facile in saltu tunc inveniatur ab hoste,
Si magnō numero contra ipsam forte rediret.
Sed non id fecit nisi cum nos impetit omnes,
Salvaque tunc etiam persistit munere divo.
Perque vias omnes illasi, a Numine Summo
Protecti sumus, vario in discrimine rerum.
Dixerat ipse mihi, quod vellet nosse Tribunus,
Grex si illic pecorum per Gallas cernitur oras,
Ad capiendum illum nobis ut mitteret agmen.
Non opus esse, mihi visum est, alio agmine nobis.
Viginti socios ducens in limina villę,
Quam Lecumberri appellant, licet illa remota est,
Inde gregem refero, quem nostro mitto Tribuno,
Pastoremque ejus volui ad sua tecta redire.
Cui quęrendo, fuit Custodia quomodo saltus
A turmis quęsita suis? nescire reponit.
Pro belli zelo, pro re feliciter acta,
Ipse mihi grates dignatur mittere Ductor,

Imperat inde tamen non ultra excedere saltu ,
 Neve loco nostris solito excursoribus illic,
 Prudenter reputans, post hæc non esse pericla
 Ulla cienda mihi prædas ex hoste ferenti.
 Et belli certe quidquid sit inutile fini ,
 Omitti debet, mala nec crudescere fas sit,
 Quæ juvenilis amor laudis producit in armis ,
 Exagitans animos , bellicque augendo furorem :
 Quin veniam poscens Gallorum incendere tecta ,
 Plurima quæ possem transacto limite saltus ;
 Non mihi concessam , licet illi accendere nostra
 Venissent magno quærentes agmine pugnam.
 Haud impune tamen , venia hæc si missa fuisset .
 Cessisset Gallis Irati accendere tecta ,
 Multo plura suis eum possem exurere campis.
 Non tamen id placuit Ducibus prudentibus ipsum ,
 Et generosa quies fuit ipsis gratior illic ,
 Quæ Gallos belli doceat mitigare furorem ,
 Quando nec intulerant gratis incendia nobis ,
 Nec veterum Irati memini , lætorve malorum,
 Quæ vellem plorare magis , luctuque dolere ,
 Tempore sed tali voluit Dux Caro Supremus ,
 Ulcisci populum , quem crude incenderat hostis ,
Valcarlos, Magni Caroli de nomine , dictum ,
 (Per quem transierat Gallorum victor in oras ,
 Post Mauros domitos) quia longe a limite nostro ,
 Indensus erat , flammis comburitur hostis ;
 Incendique domos late , prædasque referre
 A Gallis jussit per longi tranitis oras.
 Non tamen ipse mihi tales exposcere pœnas
 Jusserat a Gallis , fuit ergo nostra voluntas ,
 Quæ impulit illorum sectari me quoque facta .
 Hinc mea non laudo , licet hæc feliciter egi ,
 Ex me tentando , quod Dux prudentius ipse
 Agmine majori voluit concludere nostrum .
 Nos Deus adjuvit , quod non sic omnibus exit .
 Mira Dei pietas , cui grates reddere justum est !
 Ter illo remigans Irati flumine pleno ,

Cujus aquæ portis clauduntur, ligna vehendo,
 Accidit ut vitæ possem vitare periculum.
 Flumine delapsus, ligno salvare rotante
 Me placuit Domino donec mea turma veniret:
 Navigio a torrente feror, qui protinus urget,
 Quod ripæ applicitum it præceps, ac exco, sanus:
 Navigio ex alio nutans sustentor, in undas
 Ne caderem, miserante Deo in discrimine tanto:
 Irati de ponte pavens defertur in ipsum
 Flumen equus præceps, Domino avertente periculum,
 Adfuit et Virgo semper miserata laborem;
 Pulvere nitrato plenum jactare parabam,
 Inscius ad jactum solitum componere mixtum,
 Granatum incensum, sed parum defuit inde
 Ut morerer, mortemque aliis inferre meorum
 Cum simili armorum jactu, quibus inscius, illic
 Experimenta tuli, felici sorte savendo
 Me Domino, jussitque minans arcere periculum.
 Mens mea, quæso, tam in requiem convertere tandem,
 Namque tibi Dominus tantum benefecit aperte.
 Has oras linquens in equo de porte ferebar
 A rapidis undis, ast hæreo crinibus ejus:
 Arripimus nantes extremam vorticis oram
 Et vice turmam alia concessum est ducere multam,
 Perque viam facilem salvare ex hoste propinquo,
 Ipse viam nostram dum claudit milite multo,
 Tunc licet haud esset nostrum mihi credita cura,
 Unus at ex multis, error quos noctis habebat,
Orbaiceta Duci placuit cum linquere nostro,
 Atque Duces captos Ductori sistere Summo,
 Impleo dum jussus, se humaniter esse receptos,
 Gallo Ductori scribunt, ac mente benigna,
 Nos sibi, militibusque suis, certamine captis,
 Ostendisse pios; tunc grates ille remittens,
 Respondit dicens, gratum se exinde futurum,
 Ac bene tractandos captivos sorte per ipsum.
 Omnibus his certe Domini me gratia juvit,
 Qui me præfectis gratum concesserat esse,

T

Ut mihi mandarent commissa micantia belli,
 Cum repeto casus, et mente revolvō pericla;
 Deficiunt sensus, vires, animusque canenti;
 Plurima nec posse leviter contingere versu,
 E quibus eripuit clementia Sacra Mariæ,
 O gratum reddant animum tot munera nostram
 Ingratumque meum teneat verecundia vultum.
 Ad majora vocat rapidus discrimina cantus.

Accepit tristes clades exercitus alter,
 Ante tuos pugans, dives Cathalaunia fines,
 Illico quas fortis reparare Urrutia cepit,
 Hostibus hinc nostris inflata superbia vires
 Incutit; Hispanosque putant devincere semper;
 Et jam Matritum, Romanque capessere tentant,
 Ut sic Dugomier Ductor jactabat aperte,
 Qui Bonsparte dedit præcepta magister,
 Et cecidit bello paulo post vulnere mortis.
 Infelix! nusquam reputans, sua tela furoris
 Tendere posse Deum contra non justa minantes.
 Nam si quando Deus nobis flagella venire
 Ob peccata sinit, nunquam Clementia dives
 Amovet a nobis oculos, mentemque benignam;
 Corripit adversis, sed non in fine relinquit
 In se sperantes animos, ipsumque precantes,
 Nec flagella sinit nostris imponia semper.
 Quique colit Dominum, spes illi est certa salutis,
 Sive probatio eum tentet, correptio sive
 Afferat illatas merito pro crimine penas,
 Nam tempestatem facit ut tranquilla serenent,
 Post lacrimas vero, tunc exultatio surgit;
 Sit benedictum ejus Nomen per secula Sanctum.
 Pervenit Sancti festum Paschalis, et ecce
 Prima lucē venit dicens Præveta secundus,
 Adventare hostes, et nos circumdare turmis
 Per nemus umbrosam, per quod transire silentes
 Flumen erant visi a quodam testante Colono;
 Præveta verbis, quod sint mihi grata, reprobo
 Rem Domino, Matrique Dei commendo Mariæ.
 Tunc signum præbere petit Vincentius, alter

Post me Præfectus, cunctos hic dura sciendo
 Timpano in arma viros, et pugnae corda parando.
 Annuo consilio, socios quod concitat omnes.
 Ut belli signum Gallis sensere, ruentes
 De saltu saliant, nimiumque effusa repente
 Turma Domum cingens inter duo flumina nostram,
 Aut capere, aut nostros animos terrere conatur.
 Continet illorum fortis Custodia cursum,
 Milite, qui prima pugnat statione, recepto
 Dum reliqui socii celeres, paucique coloni
 Tecta domus currunt pugna defendere nostram,
 Quam Gallus densis accurrens impetit armis.
 Huæ pueri, matresque simul, mæstæque puellæ
 Confugiunt, belli sortem perferre parati,
 Diffugiunt alii, miles dum continet hostes
 Ne simul hi intrarent, portæ clauduntur, et unus
 Mittitur e nostris Sorianæ ad tecta Cohortis,
 Nuntius instantis, pugna incipiente, periclitantis
 Nostri, qui exierant (dextram lustrare iubentur,
 Armorum ob strepitum, quem sensi luce priore)
 Transierant longe rivi de parte sinistra
 Quæ intercisa manus, turba veniente, Cohortem
 Invisit Sorianæ, cujus cum milite venit,
 Parva licet nostrum tunc posset turma venire,
 Unde Ducem Gallum nulli tenuere timores,
 In nos cum voluit turmas inferre suorum:
 Orbayçeta sibi sola observanda videtur,
 Ter leucas distans a nobis, agmine multo;
 Non ausa est tamen auxilium demittere nostris,
 Id licet exposcat, mediæ Custodia saltus,
 Quæ intercisa fuit, Gallis instantibus illuc;
 Nam prudens timuit longi discrimina saltus,
 Apparatum etiam multis in prælia turmis,
 Quas sibi collectas Gallorum ex agmine cuncto
 In nostrum excidium speculator dixerat esse.
 Auxiliumque ideo Sorianæ laudare juvabit,
 Cum pauci numero nulla extimere pericla
 Hostibus improvisi, audacter prælia quærent,
 Amba manus juvenum, mediæ custodia saltus,

Et qui transierant Sorianæ ad tecta Cohortis,
 Si intercisa domum valet haud defendere nostram,
 Attamen a Domino mire protecta videtur,
 Auxiliumque suis omni de parte requirit,
 Sed tunc defecit turmæ pars maxima nostræ,
 Dum vallatur ibi per Gallos agmine multo.
 Nam parte ex alia, dextram per fluminis oram,
 Imminet extemplo nobis numerosa Columna,
 Duxque in fronte venit, socios nudo ense ciendo.
 A turri hos cernens *Bordegè Antonius* alta,
 Quæ contra surgit, mihi stanti dicere cœpit:
 Quomodo possibile est, turmis obsistere tantis?
 Quem numerum credis, respondi, sistere contra?
 Mille viros forsam? nil amplius? ille reponit.
 Tunc ego dispiciens numerum, turmasque ruentes,
 Num metuet, quoquot fuerint, Antonius hostes?
 Mi timor ignotus, prudens est curæ pericli:
 Fusile sic dicens telum direxit in hostes,
 Imperat et sociis, quibus hic tunc præerat ille,
 Ut sibi tela parent, solus quæ mitteret ipse.
 Hinc tumidum monstrans humerum certamine facto,
 Vulnere non alio curandus mittitur inde,
 Exemplumque sua magnum virtute relinquit.
 Tunc nostri passim se hortantur temnere turbas,
 Atque Deo cunctam belli committere sortem,
 Virginis Auxilium puræ poscendo Mariæ,
 Et pugnare manu, turmisque resistere fortes.
 Vocibus at Galli nos deterrere minantur,
 Et nos cessuros ipsorum viribus instant;
 E contra nostri telis certare silentes.
 Nos armis certare decet, mihi credite, Galli,
 Non clamare meis, sed pugnæ intendere firmos,
 Linquite clamores, et vanæ verba loquelæ,
 Queis nostri scopli responsa tonantia mittunt.
 Fama refert hostes illic habuisse trecentos,
 Vulnere percussos, aut dura morte peremptos.
 Hic audita loquor, si non hæc vera fuissent,
 Est melius, lætarer ego, quod nemo peremptus,
 Vulnere nec belli percussus sorte jaceret.

Nostra domus saltu nullas inferre parabat
 Gallorum mortes, qui nos certamine tentant,
 Incendantque domos, et nos clamore lacessunt;
 Quæque sibi veniunt, belli sunt sorte recepta;
 Fortia clamori telis responsa dabantur,
 Vis fremitu ideassum, Domino frænante furorem;
 Diripuere domos, Templo nec pareitur ipsi,
 Cujus opus nondum perfectum, aut Sacra peracta
 Tunc fuerant: Puræ sed Imago locata Mariæ
 A Parochio, et nostræ sedis Ductore priore
 Debita pœna datur picturam Virginis illic
 Irridere auso, et Dominam contemnere nostram;
 Illico nam moritur, reliquis amentibus inde
 Inter se pugnant: nostras ut clamor in aures
 Causam ignorantes, quam Gallus postea dixit,
 Quem bello expleto Navarra vidimus Urbe,
 Virginis in Sacro, dictæ a Camino, Sacello,
 Cum pugnae cuperem plures cognoscere casus;
 Ac erat ipse probus, Sacri ut dixeret Ministri
 Urbe in ea a Gallis pulsus, quos consulo prompte
 Testanturque mihi, quod plurima mira patrata
 In Gallis fuerant, quæ dura fronte tegebant
 Urbibus in variis, quas dira tyrannis habebat,
 Angelico interea auxilio (sic credere fas est)
 Nostra domus perstat contra certamina cuncta
 Cernere erat, pueros nostris portare quod instat,
 Atque parere Matres curanda in vulnere vittas,
 Quas unus nostrum feritis providus aptat
 Cernere erat, socios armis contendere fortes.
 Quid de Augustino dicam pugnante colono,
 (Qui Goizueta fuit cognomine cognitis illic)
 Inferius turri socios hortante Sacristæ
 Angelus an fuerit dubito, qui missus ab alto,
 Sed juvenis speciem referens, formamque coloni,
 Auxillium, columenque foret, curasque levaret,
 Et virtute sua, verbis, vultuque sereno,
 Pro muro nobis esset de parte Sacelli
 (Per quod confracta porta, durrium ipse Sacristæ)
 Occupat, atque aditum sociis, ac arma ministrat

Quæ inclusa haud poterant nostros armare colonos)
 Immaculata Dei Genitrix ubi culta manebat,
 (Unde et Imago prius portata est altera Templo)
 Cui designatus custos fuit Angelus altus,
 Fortiter ut nostros armis defenderet ipse,
 Virginis auxilio stantès, sanctaque tutela :
 Ejus fervorem frustra moderare volebam,
 Arma timens desint nobis jaculata per ipsum
 Præcipiti studio ; vultu tamen ille sereno,
 Acriter hic opus est Gallos arcere, reponit,
 Fervidus instando turmas bellare minantes.
 Dux ibi Gallorum cadit ipse, timente caterva,
 Quæ lapsam miserum non audet tollere pugna :
 Saucius incertum est à quo sit vulnere nostrum.
 Mira aderat nostræ virtus concessa juventæ :
 Vulnere percussus Miles *Romæ* Josephus,
 Curandus fertur, sed protinus ipse redibat
 Conservare locum, pugna durante, priorem,
 Dum nostri valeant Gallorum pellere turmas.
 Saucius et pariter fuerat Vincentius, alter
 Post me præfectus, dum pugnat fortiter ipse,
 Sed capitis vulnus medicans, se in prælia confert.
 Accipiant alii mortem, seu vulnere nostri,
 Nemo tamen meritur Templi de parte propinqui,
 Cuncta tamen flammis tentant consumere tecta,
 Pandite nunc, Superi, quis sæva incendia nobis
 Avertit, tantos tectis quis depulit ignes?
 Summa Dei, Sanctæque ejus clementia Matris :
 Gloria sit Domino, virtusque, et summa potestas ;
 Pura Dei Genitrix Virgo laudata Maria.
 Jam domui flammæ cupiunt infundere nostræ :
 Sed fuit incassum, ut Gallus mihi postea dixit,
 Bellandi strepitum solitus laudare meorum.
 Fasces portabant aptos incendere Galli ;
 Exarsere domus, Templum jam flamma vorabat,
 Ipsaque jam nostrum minitatur lignea tecta :
 Tunc ea consuluit mihi quidam evertere prompte,
 (Lignorum fabris Joseph qui præfuit illic,
 Atque die belli cum nostris arma ferebat)

Matèriam tollèndo igni, qui proximus urget,
 Nam flammæ ventus Templi de parte ferebat.
 Quæsitusque venit tunc *Joseph Amo*, peritus
 Ædificare domos, sætisque evertere tecta.
 Aspicit, extemploque docet non esse periculum;
 Sed mutatus erat ventus, contrarius ante,
 A nobis faciens Templi divertere flammæ;
 Unus id advertit de nostris, non ego ventum
 Curabam, pugnæ intendens assistere circum.
 Sed *Fridericus*, ait, vento consistere sæpe
 Eventum pugnæ, ac parvis successibus æque,
 Queis virtus, Ductorve potest obsistere nullus,
 Cum quibus ipse Deus, vires frænare superbas,
 Imperat, ac omnes hominum confundere mentes:
 Sic bellator ait Ducibus documenta ministrans,
 Borusæ debet cui nunc consistere Regnum.
 Bellica parva simul, quæ in nos tormenta jubentur
 Transportare humeris noctu per devia saltus,
 Perdita sunt, multumque sibi defecit in armis
 Profuit id nobis, e contra munere Divo.
 Irati cineres, et tecta incensa domorum,
 Testor, in excidio vestro nec tela, nec ignes,
 Jam vitare domus posset, nisi *Virgo* juvaret;
 Jam fuerant frustra fortissima pectora nostrum,
 Et caderent, quondam sicut *Numantia* pugnans.
 Omnipotens voluit nostra ut felicior esset
 Parva manus juvenum, quam *Numantina* caterva.
 Et cum Ductoris Caro res venit in aures,
 Exclamat, Senior: *Numantia* vivit in istis.
 Concidit illa vetus propriis *Numantia* flammis,
 Hæc nova subsistit contra ignes, *Gallia*, vestros,
 Flammisque, eripitur *Gallorum* *Soria* felix:
 Sed nostros Dominus defendit providus armis,
 Omnipotens, cui nulla Cohors, cui prælia nulla,
 Nil prosunt artes, nil Agmina cuncta resistunt,
 Et salvare potest duro in certamine parvos,
 Pro quibus Alma petat Puræ *Clementia* Matris.
 Extemplo æe fumus Templi de parte recedit,
 Aspiciamus Gallos sedentes fluminis ora;

Nequidquam expectant, nos flamma ardere minaci:
 Irruimus jactu telorum: protinus illi;
 Ut videre domum salvam persistere nostram,
 Nec comburi igni, nec nos desistere pugna,
 Exarsere animis, et summis viribus ipsam
 Expugnare parant, summaque evertere opum vi
 Decernunt, dura portas reserando securi.
 Ligna trans portam magna impedimenta locamus,
 Militibus positis aliis, qui limina servent,
 Sclopis intentis illuc de parte propinqua,
 Ac granata simul flammis ardentia jacto.
 Deserit inceptus irata caterva furentum:
 Cominus extinguit stragem, tremefacta recedens
 Proxima jam portis, a longe obsessa tenentes
 Limina, quæ expectant ut cedant tempore tandem.
 Jam non insultant Galli clamore minaci,
 Amplius aut portis audent accedere nostris,
 Plurima sed circum positi sua spicula jactant;
 Et timor est, nostris ut possent arma deesse,
 Longa consumpto nitrato pulvere pugna.
 Accipere hic tandem mihi binos contigit ictus,
 Et cadere his potuisse reor, nisi Virgo juvaret.
 Pura Dei Genitrix, divertens vulnera mortis,
 Ore meo leviter cum vultu sanguine tincto.
 Non ita salvassent, si fortia cuncta fuissent.
 Millia, quot bellis numquam venere cruentis.
 Saucii erant alii nostrum, moriuntur et illic
 Petrus, Dominicus, milesque Antonius alter,
Canredondo fuit populus, qui miserat illum,
 Haud longe à Soria Durii trans fluminis oram,
 Neve loco procul est, Numantia quo fuit olim.
Oxomensis erat, quem misit *Burgo*, secundus,
 Dominicus, reputo quem Sanctus nominis ejus
 Dominicus *Guzman* subita non morte reliquit,
 Quem protectorem cognoscit *Burgo* potentem.
 Ternus, quem dederat patria *Agreda* nobis,
 Invocat ille Dei Matrem, quæ morte peremptum
 Credibile est prompta portasse in præmia Cæli.
 Petrus ubi accepit vulnus, pietate precatur,

Et *Pater* instanter *Noster* sua labia promunt,
 Nil mihi respondens, precibus sed semper inhæret
 Tempore quo vixit, placida sic morte quiescens.
 Felices animas teneant nunc gaudia Cæli!
 Corpora si in terra pro Relligione jacebant.
 Saucia quiuta fuit jam pars, aut mortue nostrum,
 Tecta tamen longà certant defendere pugna,
 Invictis animis, telum nec inutile librant,
 Vulncribus multis Gallis, ac morta peremptis.
 Qui nos ad vitam Superum, Cælumque creavit,
 Et captos, Christi pretiosa morte, redemit.
 Quid duris certare armis, et sanguine prodest?
 Dicite nunc, quæso, cuncti, quibus ultimus esset
 Ille dies, lucisque viam invenisse supremam
 Contigit æterni sæcli, per vulnera mortis:
 Nostri pro Domino vitam si perdere pugna,
 At moriendo viam poterant intrare beatam;
 Sed vos, ò Galli, quid vestris quæritis armis,
 Pro Ducibus stando, Domini qui jussa relinquunt?
 Est Deus Omnipotens, ejus clementia dives,
 Atque utinam nobis eadem simul omnibus esset,
 Et cum morte daret Cæli per sæcula vitam,
 Tollendo hinc homines, alia in delicta paratos:
 Atque dolenda tamen nobis sua funera sæva.
 Sed quis vos, miseri, nostrorum incendere tecta,
 Atque domum nostram velle expugnare coegit,
 Iratique Nemus turmis tentare superbis?

Nuntius interca Sorianæ in tecta Cohortis

De nobis venit positus discrimine tanto,
 Et nostri Mentem percussit imago pericli.
 Numantina Cohors extemplo in prælia surgit,
 Immemor haud animo; quod sancti ad limina Petri,
 Urbe Prior Templi Sorianæ, dignusque Sacerdos,
Bernardinus ci de *Portis* suaserat, alium
 Cum caput adduxit Sancti exorare Saturi:
 Pergitis obstare, in nostras hæresis oras
 Ne veniat, miscros quæ Gallos vexat acerbe:
 Nunc perstate, viri, sicut *Numantia* fortes,
 Bella Dei Nostri melius bellare parati.

Commovitque animos Sacri Senioris imago,
Cum Soriae hortatur nostras in praelia turmas.

Auxilium Soriae nobis laudare juvabit,
Cum cursu celeri nostri per culmen Abodi,
Improvisi adsunt, et primi praelia tentant,
Exigui numero, sed bello vivida virtus,
Turma simul fortis Salazar incola Vallis:
Dux *Isidorus* erat Soriae Centurio turmis
Cerezeda illis prudens, in bella paratus.
Gallorum mirata viros hic turba Cohortum,
Paucos effugit, quos multos credidit esse,
Non aliter reputans huc nostros posse venire,
Queis nimius dederat zelus non nosse timorem,
Aut aliud versare animo, quam nostra pericla
Pellere, quaerendo parvis cum viribus hostes,
Quos pugnae strepitus nostrae devincere suadet,
Ad nos dum veniunt in longi tramite saltus,
Nec numerum norant hostilis militis in nos,
Donec vallatos viderunt agmine tanto.

Tympana Gallorum sonuerunt illico pugnam
Deserere, et patrios fines remeare catervas,
Perque vias septem celeres, timidique recedunt,
Quos prius in saltum venientes una ferebat. (1)
Tympano ego extemplo sonitum pulsare jubebam,
Qui Aurorae exhilarat venientis tempore castra,
Et Dominum, Puramque monet laudare Mariam.
Lignea tunc portis sunt impedimenta remota,
Limina panduntur, mirantes tecta subinfrant
Ictibus armorum picta in certamine tanto;
Et Parocus Castrensis adest cum milite primo,
Ginesius *Marco* et *Palacin* nomine dictus,
Auxilio nostris zelo Sacramenta ministrans
Queis potuit, fuerantque gravi de vulnere caesi,
Defunctosque Sacri cumulavit honore sepulchri,
Atque Deo laudes tribuit pro munere tanto.

(1) *Per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua.* (Deuteronom. c. 28. v. 7.)

Tunc omnis captus, curavi, ut viveret hostis,
 Et caderet nemo transacto tempore pugnae.
 Contigit et Gallum, quem desperatio vexat,
 Postque dies denos percussum vulnere tandem
 Salvare, in saltu mortem perferre volentem,
 Nam sibi persuasum est, quod nos crudelia Gallis
 Funera captivis durato corde daremus.
 Sic fassus, se in nos animo venisse superbo:
 Talia forsā erant ideo hæc mendacia ficta!
 Vivere non poterat tanto jam tempore lapsō,
 Saucius, at tandem moriens Sacramenta recepit,
 Hospitium postquam subiit, curandus in urbe.
 O Secreta Dei, miranda potentia nobis!
 Tot salvare dies hominem per devia saltus,
 Cui vitam, tempusque dedit pro morte beata!
 Sed quid ego ignorans obscura hæc pandere tentem,
 Et secreta Dei, nostræque abscondita menti?
 Maxima quem potius verecundia corde moveret,
 Me ingrata semper Domino persistere mente!
 Post cumulata mihi tot munera corde benigno,
 Regis ubi læcet Jesu clementia Matris!
 Quando minabatur Gallorum turba securi,
 Ligna quæ fuerant portæ impedimenta locata
 Materiam nostræ poterant præstare ruinæ,
 Seu retinendo domi fugientem ardentia tecta,
 Vel augendo ignem, si porta accensa fuisset,
 Urere cesisset si Gallis tecta meorum.
 Cum subit illius tristissima sortis imago,
 Cum repeto pugnam, qua tanta pericula fugi,
 Qua Deos indulsit fortissima pectora nostris,
 Morsque timore ligat, terrent et vulnera Gallos,
 Jam fessis nostris, longo frangente labore,
 Dum Gallæ circum turmæ cum jactibus instant
 Prædam spectantes tandem turmæque, domusque,
 Ommipotentis ibi video Magnalia Regis,
 Atque Dei lucet miranda potentia Matris,
 Nec Sancti Petri auxilium mihi defuit illic,
 Huic à ventre suo me commendante Parente,
 Qui astitit et puero, cum magna pericla subirem,

Et premerent ægrum , stadium sectando Darocæ ,
 Præmium ubi obtinui juvenum certamine quondam :
 Ad cujus Templum Soriæ Caput ipse Saturi
 In manibus vidi Sacri hortatoris in arma ,
 Quando instructa Cohors veneratur Castra petendo ,
 Cui nomen nondum dederam , sum quam inde secutus.
 Hinc caput ipse meum Dominus Deus Altus obumbrat,
 Atque meæ virtus pugna est instante salutis.
 Sancti Augustini tamen haud vestigia sector ,
 Nec Sancti Petri lacrimas peccata delentes.
 Talia sic tandem me exempla sacrata moverent !
 Mens mea, quæso, tuam in requiem convertere (1) tandem,
 Namque tibi Dominus tantum benefecit aperte.
 Vanum verborum strepitum mea carmina promunt ,
 Justitiæque deest optata refectio cordis ,
 In fame tunc simul atque siti penuria perstat
 Virtutum , mentemque meam torpore fatigant,
 Qui Irati cineres , præfataque cuncta revolvis ,
 Ira tibi Domini veniant ne accensa furore ,
 Quære timendo Deum , Puramque precando Mariam,
 Atque placere Deo toneans tibi mente repostum.
 Gloria sit Sanctæ Triadi per sæcula cuncta.

(1) *Convertere , anima mea , in requiem tuam ,
 nam Dominus benefecit tibi. Psalm.*



J. M. J.

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Errata</i>	<i>Corrige</i>
1	4	Perturbatores Gal- los	Perturbatores inter Gallos (scilicet ut cla- rius exprimatur , non adversus Gallos bonos, qui honore digni sunt, sed adversus eos , qui ipsum bonos perturbant, et persecuti sunt , et persecuntur.
3	19	tuenclis	tuendis
4	2	deprecatur	consistit
5	ultima	socii . . . ostra	socii . . . ostia
6	10	læti	lethi
7	20	ductor agminis	ductor ibi agminis
7	29	Nec polluta tuis sunt labia laudibus apta	Nec mea labra tuis sunt, Virgo , laudibus apta.
9	16	vel Arca	sive Arca
9	23	discrime	discrimine
9	35	Quæ mihi tunc Sa- lazar fuerat concre- dita	Quæ mihi Salazar fue- rat tunc credita
10	22	nemoris	saltus
10	37	veloci	voluceri
11	4	Vel ego	Aut ego
12	6	Omitti	Dimitti
12	11	concessam	concessa est
12	ultima	Ter illo	Illo ter
13	3	delapsus	delapsum
14	7	vultum	vultum !
14	16	dedit præcepta	dedit belli præcepta
14	20	flagella venire	venisse flagella
14	25	Nec	Neve
15	7	conatur	sategit

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Errata</i>	<i>Corrige</i>
16	15	dispiciens	despiciens
16	19	præerat	præfuit
17	17	dictæ a <i>Camino</i>	dictæ <i>Camino</i>
17	27	Atque parare Matres	Utque parent Matres
17	28	feritis	tunc læsis
17	35	columeraque	columenque
17	38	turrium	turrim
20	36	quem dederat	quem natum dederat
21	1	sua labia promunt	de pectore promit
21	6	quiuta . . . mortue	quinta . . . mortua
21	9	morta	morte
23	4	tndem	tandem
23	5	saltn	saltn
23	25	vel augendo	sive augendo
23	29	Deos	Deus
23	34	Spectantes	Expectantes
24	19	veniant	veniat
24	21	teneans	teneas
24	ultima	<i>nam</i>	<i>quia</i>

IMPRIMATUR

A. FRANCI VIC. GEN. ET EPISC. SUFFR.

NIHIL OBSTAT

R. LOLLI VICE-LEGATUS

NOVI .

5^o 11011

VELITRIS
APUD ANTONIUM MUGNOZ
1858